



Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè
continentur

Zerola, Tommaso

Coloniae Agrippinae, 1680

Bladum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10421

vinum, nisi prius vendantur illa Baronis, neque coquere panem, nisi in forno Baronis: ita habet Archiepiscopus Comzanus in terra sancti Mennæ, nec macellare carnes, nisi in marcello Baronis, & ita habet Episcopus Minorensis, imò ipse solus habet apothecas, seu officinas, & quòd non possit vendi ad minuta in pondere, & hoc ex antiqua consuetudine, & præscriptione, cujus non extat memoria in contrarium. vide Afflict. *in consil. Magistris, & procuratoribus, notab. 2.*

Quintò, Barones an possint vendere officia Capitaneorum, & officialium, quos ponunt pro administranda justitia in suis terris, vide Navar. *loc. cit. nota. 19. Sot. lib. 3. q. 6. art. 4. ad primum argum. Sylvest. in ver. restitu. 3. §. 5. n. 4. & ver. dominum, n. 5. §. 2.* Vide Bull. Pii V. 145. *que incipit, Et si Romani, & aliam 150. que incipit, cum nuper,* ubi agit contra procurantes officia, & dignitates pretio, vel alio, &c. & Navar. *consil. 2. de empte. & vend. tenet, quòd emens officia, vel jurisdictiones, peccat mortaliter, nisi emat à Principe non recognolcente superiorem, vel de licentia ipsius, vel consuetudine, vel aliàs: tamen hodie passim videmus illa vendi, licet magna cum jactura justitiæ, & vitorum bonorum.*

Sextò, Barones debent cedere locum Episcopis tam in Ecclesia quàm extra, ut par est, Conc. Trident. *sess. 35. cap. 17. de reform.*

Septimò, Baro si habet Burgensatica in territorio suæ Baronis, eorum respectu contribuere tenetur in oneribus universitatis, ut bona tenens, non ut civis, Vinc. de Franc. *decis. 197. n. 19.*

Octavò, Barones in quib usdem terris ex antiqua consuetudine imponunt talias certas, & absque peccato exigere possunt, si non sunt immoderatae. idem *decis. 56. n. 13.* nec obstat Bulla cœnæ Domini, quia loquitur de potestate ad id non habentibus.

BLADUM.

AN bladi, tritici, vel frumenti appellatione veniant omnia legumina, vel omne quod in terra, vel in agro conteritur, vide *l. triticum, de verb. oblig. & l. frugem, §. frumentum. ff. de verb. sig. Bal. in consil. 247. lib. 3. gl. ac Bart. in l. 1. §. de aqua plu. arc. Ab. in c. ex multiplici. n. 3. de decim. & ibi addit Zapch, in ver. frumenti.*

BAPTISMUS.

PRimò, licet tractatus de baptismo est locupletissimus, de quo poteris videre apud Sumistas, *in ver. Baptismus, & Theologos 4. sent. à. dist. 7. & Canonistas, in tit. de baptis. & eius effect. de consecr. dist. 4. & Navar. c. 22. à n. 5.* tamen solùm ea attingam, quæ sunt pro frequentiori praxi.

Secundò, si quis baptizaret mare, & postea reperiret esse fœminam, an sit baptismus, vide *Sot. 4. sent. dist. 1. q. 5. art. 2. juxta fin.*

Tertiò, hodie compates (ut vulgò dicuntur) non possunt esse nisi unus & una ad summum, qui baptizatum de baptismo suscipiant, Conc. Trid. *sess. 24. c. 2. de refor.* non potest esse mutus, nec compater, nec cõmater. *c. parvuli, de conf.*